DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA.

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
OPHTHALMIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANNES MAGUIRE,

HIBERNUS,

SOC. REG. PHYS. EDIN. SOC. HON.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

Since light so necessary is to life,
And almost life itself; if it be true
That light is in the soul,
She all in ev'ry part, why was the sight
To such a tender ball as th' eye confin'd,
So obvious, and so easy to be quench'd?
And not as feeling thro' all parts diffus'd,
That she might look at will thro' ev'ry pore?

MILTON, Sams. Agon.

VIRO VITÆ INTEGERRIMO,

PATRICIO MAGUIRE, M. D.

PER PLURIMOS JAM ANNOS

APUD DUBLINIENSES

ARTEM SALUTIFERAM

FELICITER EXERCENTI;

HOC TENTAMEN MEDICUM INAUGURALE

OBSERVANTIÆ SUMMÆ

QUA

INTER FAMILIARES OMNES, SEMPER MERITÒ

PROSECUTUS EST,

MONUMENTUM PEREXIGUUM,

ANIMIQUE PROPTER EJUS VIRTUTES MULTIFARIAS, EI DEVINCTISSIMI,

PIGNUS,

SACRUM VULT;

AUCTOR.

FRATRI SUO SPECTATISSIMO,

ROBERTO O'REILLY, M. D.

EX COMITATU CAVANENSI,

ET

OPPIDO COOTHILL,

ARMIGERO;

DISSERTATIUNCULAM HANCCE, QUALEMCUNQUE,

AMICITIÆ ET CONSANGUINITATIS

MONUMENTUM PERLEVE,

OFFERT,

FRATER EJUS AMICISSIMUS,

JOHANNES MAGUIRE.

ERRATA.

Pag. 15. lin. 1. *pro* hin *lege* hinc
Pag. 21. lin. 1. *pro* maximè *lege* maximo

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

OPHTHALMIA.

OPHTHALMIA, quam hujus opusculi argumentum selegi, sic apud CULLENUM definitur:

"Rubor et dolor oculi, lucis intolerantia, "plerumque cum lachrymatione."

HISTORIA

HISTORIA MORBI.

Hic morbus sæpe admodum lenis est, et periculo omninò vacat; nonnunquam tamen gravissimis signis stipatus, promptissimum artis auxilium exposcit. Ophthalmia membranarum, de qua potissimùm sermo est, levi caloris sensu plerumque obrepit, est quoque sensus pulveris, quasi in oculum illapsæ; æger de dolore oculi conqueritur, qui tamen in levioribus morbi exemplis, haud multum molestiæ facessit, et potius pruritum et ardorem refert. Color tunicæ adnatæ nunc obfuscàtur, quod vasis præter solitum turgidis debetur; hæc tandem ita ampliantur, ut particulis rubris aditum non ampliùs denegant. Hinc rubor oculi exoritur; dolor nunc acrior evadit; minimè autem semper inflammationis

gradui pro rata refpondet; in nonnullis enim exemplis ubi inflammatio lenis apparet, dolor graviffimus urget; motu leviffimo ferè intenditur; et lucis appulsum, utut alia stimulantia, oculi ægerrimè ferunt. Lachrymæ insolita copia plerumque effunduntur, et humor nonnunquam ita acris est, ut partes vicinas molestè irritet. Oculi autem inflammatione correpti, non semper sic illachrymantur; est enim, ubi aridi manent.

Etsi inflammatio in tunica oculi adnata primum sese ostenderit, tarsi in morbi consortium brevi rapiuntur, et humorem tenacem et viscidum effundunt, quo permolesta palpebrarum adhæsio inter somnum sæpe obtinet, ægrè diducenda.

Cum ophthalmia leniter incedit, hisce ferè notis insignitur; in gravioribus autem hujus mali exemplis, hæc omnia multum exasperantur, et nova quædam accedunt; dolor capitis æquè ac oculorum atrocissimus, et nocturna vigilia,

vigilia, ægrotantem acerbè exercent; delirium nonnunquam supervenit; scintillæ, maculæ nigræ vel coloratæ, ante oculos obvolitare videntur, qui lumen levissimum refugiunt; arteriarum ictus concitantur, et pyrexia accedit. In hujusmodi casibus, inflammatio rarò parti quam primum adorta est, continetur, sed tunicas oculi conjunctivæ subjectas petit, et usque ad retinam ipsam serpere videtur.

Quod ad ophthalmiæ terminationes attinet, resolutione sæpissimè finitur, rarò admodum suppuratione, et nunquam ferè gangræna. Morbus plerumque intra paucos dies, medicinâ peritè adhibitâ, mitescere incipit; aliquando autem hujusmodi inflammationes longo spatio detinent, et ægrè sanantur. Hæc usitata ophthalmiæ terminatio, rarò ulla evacuatione critica comitatur, etsi sudor lenis nonnunquam supervenit.

SIGNORUM

SIGNORUM RATIO.

RUBOR oculi ex particulis sanguinis rubris, quibus vasa oculi, quæ, in statu sano laticem pellucidam solummodo vehebant, præter ordinem ampliata, viam nunc facilè concedunt, planè deducendus est.

Oculorum dolor ex nimia sanguinis copia oculos versus derivati pendet; hoc enim uberiùs influente, nervi sensum acutissimum adipiscuntur, et stimulo etiam levissimo admoto dolent.

Calor partis laborantis adauctus eandem rationem agnoscit; quò enim incitatiùs movetur sanguis in parte quavis, eò magis calet.

Lachrymæ

Lachrymæ uberiùs profunduntur, ex consortio quod inter glandulam harum secretioni dicatam et partem inflammatione correptam intercedit; irritatio quoque ductibus ejus admota idem præstare valebit. In nonnullis exemplis lachrymæ circa oculum insolita copia accumulantur, quippe ductus, qui eas ad nares deducunt, occluduntur.

Lucis intolerantia, adeò molesta quæ ferè ophthalmiam comitatur, ex adaucta retinæ sensilitate provenit. In quibusdam autem levioribus ophthalmiæ exemplis, ubi oculi lumen refugiunt, etsi nulla sit ratio cur credamus inflammationem usque ad retinam pervenisse, ex consensu repetenda est. Maculæ nigræ oculis obversantes, ex quibusdam retinæ partibus sensu orbatis proficisci videtur, non ex humoribus inquinatis, ut antiquioribus persuasum fuit.

CAUSÆ.

CAUSÆ.

Causæ quæ ophthalmiæ originem præbeant quamplurimæ recensentur. Oculi enim non solùm inflammationi patent ex iis causis quæ hoc malum in aliis corporis partibus concitant, sed ex peculiari et delicatissima fabrica, quasdam ægrè patiuntur, quæ reliquum corpus minimè afficiunt.

Homines molliore et laxiore corporis compage præditi, ophthalmiæ procliviores fiunt; et qui labe strumosa laborant hoc malo sæpiùs tentantur, præsertim specie quæ tarsos maximè exercet. Qui quoque morbum antea passi sunt, eò, reditui ejus opportuniores evadunt.

In quibusdam præ cæteris regionibus hic morbus multò acerbiùs et sæpiùs sævit: Qui Ægyptum

Ægyptum incolunt, et præprimis qui in maritimis Ægypti regionibus degunt, sævitiam hujus mali sæpiùs experiuntur; ita enim gravis est inflammatio oculorum qua vexantur Ægypti, ut etiam in plurimis exemplis infelices occæcat.

Nec solùm in regionibus sub sole fervidiore calentibus ophthalmia graviùs incumbit; in locis etiam maximè septentrionalibus, ubi omnia perpetuo ferè gelu perstringuntur, et pruina albicant, homines hoc malo gravissimè plectuntur; cæterum, nulla est regio in qua non sæpe lippiunt.

Inter causas quæ hunc morbum excitant, vis externa oculis illata, ictus, nimirum, vulnera, contusiones, puncturæ, et alia hujusmodi, recenseri merentur; nec solùm oculis admota, sed etiam vicinis partibus, capiti præprimis, hoc malum concitant; leviores hujusmodi injuriæ parum timendæ sunt, sin autem graviores fuerint, cæcitatem sæpe inferant. Hæ injuriæ

juriæ, sanguinis extravasationi, sub tunica conjunctiva, originem nonnunquam præbent; hoc modo hæcce tunica tantum supra corneam interdum elevatur, ut hiatum quasi in medio relinquat; rubedo quæ sanguini ita effuso supervenit, diu sæpe remanet, post alia ophthalmiæ signa subacta fuere. Hujusmodi quoque oculi vitia, ex tussi gravi convulsiva, vel ex aliis causis, quæ sanguinis regressum ex capite impediunt, nullis aliis ophthalmiæ signis comitata, oriri possunt; rarò tamen aciem lædunt.

Inter causas quæ hunc morbum sæpissimè pariant, corpora extranea in oculos illapsa, meritò annumerantur. Hæc corpora, figurâ, mole, vel acrimoniâ quâdam, ophthalmiam concitant. Pulveres diversi generis, fumi acres, huc relegari possunt. Cilia in oculum retroversa, huic morbo, sed rariùs, originem præbent. Nonnunquam quoque, nova pilorum series propullulat, quæ oculum irritat, et inflammationem ciet. Tumores interdum pro-

pe margines palpebrarum enascuntur, qui malo pertinaci, ansam præbeant, non facilè sanando, donec hi prius excisi fuerint.

Lux vivida, utcunque provenerit, vel ex sole, vel igne, vel re quavis splendidiore, oculum fortiter stimulat, et inflammationem ciere potest ; nonnullis etiam in exemplis, lux vividissima oculis derepentè admota, cæcitatem intulit. Homines quoque qui artem exercent, ubi res minutæ assiduè contemplendæ sunt, et literis dediti, qui tempus legendo conterunt, noctesque atque dies studiis incumbunt, præsertim si nimia oculorum contentione utantur, oculos lippientes sæpe conqueruntur.

Omnia quæ sanguinem nimio impetu caput versus impellunt, vel reditui ejus obstant, hoc malum inducere periclitantur ; animus ira exæstuans, vinolentia, exercitium vehemens, et ligaturæ circa collum nimis arctæ, huc spectant.

Nil

Nil frequentiùs in causa est, cur corpus inflammationem suscipiat, quàm frigus corpori admotum, præsertim si præter solitum calescat; nec minus oculo ipsi, vel aliis partibus applicatum, ad ophthalmiam inducendam valet. Quæ per cutem, vel aliter excerni debent, subitò repressa, hunc quoque morbum concitare possunt.

Morbus nonnunquam per metastasin, ex aliis partibus ad oculos transferri videtur; ut in iis exemplis, ubi gonorrhϾ retropulsæ supervenire dicitur. Ratio autem hujus, in plerisque exemplis, ex manibus viro infectis, ad oculos incautè admotis, repetenda est. Casus autem traditi fuere, in quibus oculorum inflammatio ex gonorrhœa imperitè suppressa, statim exorta est.

Acris materia quâ scatet sanguis, in oculos deposita, ad hoc malum excitandum valere perhibetur; et nonnulli ex hoc fonte repetunt ophthalmiam, quà, lue venerea, variola,

et

et labe strumosa, laborantes corripiuntur. In quibusdam autem horum morborum, sanguinem materia virulenta infici, mera conjectura est; nec ulla certa ratio est, cur credamus, hanc materiam ad oculos delatam, ophthalmiam excitare.

Ophthalmia interdum ex ventriculi statu pendere videtur; quidam homines ex certis ingestis in hunc morbum incidere dicuntur; et sunt, qui ex quavis ventriculi turba, oculos læsos experiuntur.

Superest et alia causa quæ ophthalmiam interdum concitat, contagium nimirum, cujus ministerio latè nonnunquam diffunditur *, et etiam per populum epidemicè grassari visa est.

CAUSA

* Vid. Armstrong, Tentamen Inaug. p. 12.

CAUSA PROXIMA.

De causis morborum proximis, tanta est dissentio inter medicos peritissimos, et res ipsa tantis dubiis implicita videtur, ut, ne justo diutiùs hujusmodi disceptationibus indulgeamus, ex quibus medicina nil ferè bonæ frugis percepit, satis superque monemur.

Ut inflammationis phænomena explicarent, alii, ad sanguinis lentorem insolitum, alii, ad errorem loci, vel particulas rubras ex propriis vasis, in exiguas arterias evagantes, confugerunt; hæc autem commenta nullo fundamento suffulta, dies nunc penitus delevit.

Doctrina magis stabilis, et quæ proximè veritati accedere videtur, a Culleno illust. amplexa est. Omnia inflammationis signa ex adaucto

adaucto sanguinis impetu in partem affectam explicari possint. Quoniam enim actio cordis, in plerisque exemplis, non præter solitum intenditur, inflammationem citatiori sanguinis motui, in parte laborante, deberi, jure contendit. Quod ad spasmum attinet, quem CULLENUS semper adesse habet, nil certi ferè affirmari potest.

Nuperi autem quidam, rem subtiliùs rimantes, aliam et prorsus diversam, inflammationis causam proximam excogitarunt, et opinionem hodiernis maximè placitam, subruere conantur, nescio autem satis bona ratione. Sanguinem in iis partibus ubi arteriæ enixiùs micant, minimè accumulari posse contendunt. Quò enim validiores sunt contractiones arteriarum, eò minus dilatationi morbidæ obnoxiæ fiunt, et sanguis per has citissimè transeat necessè est. Actionem igitur arteriarum, in parte inflammata, solito esse debiliorem probare aggressi sunt; quò fit, ut sanguinem, dato tempore, majori copia accipiant, quàm vasis

vasis vicinis tradere possunt, hinc sanguinis accumulatio repetenda est. Sunt autem multa quæ obstant quò minus huic sententiæ fidem adhibeamus; secundum enim hanc opinionem, inflammatio in iis partibus quæ maximè debiles sunt, præsertim accendi debet; hoc autem tantum ex vero abest, ut contrarium sæpiùs evenit. Nec medendi ratio magis huic theoriæ fidem conciliat; quis enim parti cuivis vehementi inflammatione correptæ, stimulantia adhiberet? quæ autem opportunè in auxilium venirent, si hæc sententia firmo fundamento niteretur; est autem inflammatio oculi *passiva*, in qua, vasa præter solitum turgida diu sæpe manent, dum alia ophthalmiæ signa, calor, nimirum, et dolor, vel omninò absunt, vel saltem multùm mitiora sunt, cui stimulantia sæpe medentur; in hac autem, hujus morbi specie, ac in illa, causa proxima diversa sit oportet, quoniam remedia diversa postulant. Si igitur in hac specie, vasa esse relaxata concedimus, in inflammatione *activa* vim

arteriarum

arteriarum contractilem esse adauctam, probabile erit.

PROGNOSIS.

Etsi in levioribus ophthalmiæ exemplis, ægri, acie illæsa, ferè convalescant, si gravior teneat morbus, judicium de eventu non semper ita faustum erit, et nonnunquam labem oculo perennem infert, vel visum e toto destruit. Cum lenis inflammatio detinet, et partem oculi anteriorem solummodo occupat, cum neque urget dolor capitis nec febris, oculi lumen non vehementer aversantur, nec ulla labes syphilitica nec scrofulosa delitescat, exitum morbo felicem jure præsagire liceat; præsertim, si signa perito medicamentorum usu mitescere incipiunt.

Si autem gravis accenditur oculorum inflammatio, dolore vehèmenti capitis, nocturnis vigilis,

vigiliis, et febre stipata; si ad partes profundiores pervenit, et retina morbi fit particeps; quòd magna lucis intolerantia, et muscæ volitantes denotant, periculum est ne æger integra videndi facultate orbus evaserit.

Ophthalmia quæ ex gonnorrhœa repulsa originem ducit gravissima est, et sæpe bulbum oculi brevi omninò destruit. Nec minus pertimescenda est ophthalmia, quæ ex injuriis capiti admotis originem duxerit; in hisce enim exemplis, cerebrum quoque injuriam accepisse suspicari fas est. Si inflammatio oculi ad suppurationem progreditur, æger infelix caligine semper duratura certissimè plectitur. Maculæ quæ corneæ pelluciditatem tollunt, humorum opacitas, et gutta serena, ophthalmiæ nonnunquam superveniunt.

MEDENDI RATIO.

Consilia medendi ad causas remotas amovendas, et ad inflammationem solvendam, dirigi debent.

Si corpora extranea in oculos illapsa ibi remaneant, quamprimum extrahenda sunt, et sanè lachrymæ uberiùs confestim motæ, hæc optimè plerumque abluunt, sin minus, ad instrumenta ad ea evellenda idonea, confugere possumus. Inter causas quæ vel morbum excitant, vel saltem multùm intendunt, lux et calor, attentionem summam assiduè exposcunt; hinc æger in loco obscuro semet continere debet, vel velum laxè oculis prætendere; cavendum autem est ne oculi arctè ligati fuerint, quod non modo eos graviter irritat, sed aëra frigidum pessimè excludit. Omnia quoque quæ totum corpus stimulant, sedulò amovenda

amovenda sunt. Ex potu quovis stimulante omninò abstinendum est; et diæta tenuis esse debet, et sanè regimen antiphlogisticum strictè administrandum est. Æger ex exercitio quovis motuve oculorum, quantum fieri potest, cavere debet; et talis corporis positura eligenda est, quæ impetui sanguinis caput versus minimè favet.

Sanguinis detractio, exinanitio est, cui præsertim in ophthalmia decurrere solemus. In iis exemplis ubi gravis inflammationis vis febrem concitaverit, si æger ætate et viribus vigeat, sanguis sine mora ex brachio mittendus est; rarò autem generali sanguinis detractione opus est; et in plerisque exemplis, sanguis ex partibus oculo vicinis detractus, auxilium multò valentius est. Arteriam temporalem incidere, in gravioribus casibus auctores satis idonei præcipuunt; et certè hoc modo magna sanguinis copia proximè ex oculo subitò educi potest; hoc autem periculo non vacat, et etiam ægrum in vitæ discrimen

adduxit.

adduxit. Præstabit igitur sanguinem cucurbitulis cruentis vel hirudinibus elicuisse. Cum vasa conjunctivæ sanguine admodum turgida appareant, ad scarificationem cum beneficio decurrere possumus, qua mitigatur inflammatio, et formationi macularum super corneam optimè occurritur. Emplastra epispastica, post debitam sanguinis detractionem prope oculum inflammatum, admota, malo fortiter subveniunt. Nec minus valent setacea nuchæ indita, quæ præsertim cum morbus in longum trahitur, utilia reperiuntur.

Collyria maximè in usu sunt, et inter auxilia hujus mali præstantissima, jurè enumerantur; peritia autem opus est in hujusmodi remediis administrandis, si enim justo fortiora sint, oculo haud parùm nocere possunt. Solutiones astringentes hoc consilio sæpiùs usurpantur; et acetis plumbi, sulphas zinci, cupri vel aluminæ, maximè utuntur. Ope instrumenti in hunc usum fabricati ad oculum admoveri debent.

Opium

Opium in ophthalmia maximè cum beneficio usurpatur, in omni morbi gradu utile est, maximè autem efficax ubi vis inflammationis inclinaverit. WARE tincturam thebaicam, secundum Phar. Londin. paratam, magis quàm alia hujus medicamenti præparata, valere, iteratis periculis comperit; hujus gutta una vel altera in oculum instillata insigniter sæpe prodest; et nonnullis in exemplis, aliis remediis infeliciter usurpatis, morbum depulit. Quoniam fæces in intestinis collectæ sæpe totum corpus multum irritant, ex tali nocivo onere catharticis lenioribus subinde liberanda sunt. Ne palpebræ noctu agglutinentur, unguento quovis interposito assiduè cavendum est; huic proposito, unguentum nitratis hydrargyri, unguentum simplex, et oleum olivarum, optimè inserviunt.

In quibusdam exemplis, ubi hic morbus in statum chronicum degenerat, medendi ratio longè diversa necessaria est; tunc roborantia sæpe optima remedia fiunt, et ad vinum

num et cinchonam, cum maximo fructu, decurritur. Nullum autem hujusmodi remedium, lavationi in aqua frigida anteponi meretur; vel toti corpori, vel capiti prius raso, admota, multum prodesse solet.

FINIS.